


3 / 89

IDIBVS AVGVSTIS

MCMLXXXIX



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI in aedibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TVRICENSIS unter dem Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri haec legentes!

Iam illa tempora aestiva appropinquatura sunt, quae multis nostrum vacationes negotiorum cottidianorum afferent. Quibus alii aliter uti solent: alii in alienas terras peregrinantur sive, ut earum homines et mores vel linguas cognoscant, sive, ut otiosi ad aliqua litora maris apricantes iaceant et solis aestu torreantur; alii domi manentes otio fruuntur; aliis quidem (ut laborantium quoque memores simus) illud tempus ad examina praeparanda utendum erit, velut discipulis gymnasiorum (quibus examen maturitatis imminet) vel studiosis.


In alias terras peregrinantibus autem - ut opinor - optima occasio est cognoscendi alias gentes, consuetudines, alios modos vivendi, mores - breviter: multa adhuc ignota et nova. Non dubito, quin si docilitate et curiositate animi rebus novis et ignotis occurramus, accidat, ut scientiis auctis et animis magis paratis ad cogitandum de nostris condicionibus, fortasse vel sapientiores et liberaliores in patriam revertamur.

Aliorum hominum sententiae et consuetudines cogitandi sentiendique animis nostris impetus novos praebere possunt ad res novas suscipiendas vel condiciones, quibus cottidie circumdamur, ex alio aspectu cernendas et examinandas.

Quid ad aenigma in hoc libello pertinet, velim animadvertatis, quaeso, solutiones non in proximo, sed in libello 5/89 demonstratum iri. Itaque vobis maius spatium ad solutiones nobis mittendas erit: usque ad Kalendas Octobres.

Vobis omnibus vacationes quam iucundissimas exopto, recreationem et novas mentes elationesque afferentes, quaecumque agetis, ubicumque terrarum versabimini!

Valete!


Daniel Weissmann

Genovefa Imme(a), herois Latinitatis vivae, amica nostra
Francogallica, sexaginta annos nata.

Nil sine magno vita labore dedit mortalibus.

Quintus Horatius Flaccus (Sat. I, 9, 59/60)

Die autem Iovis XXX° mensis Maii - die festo Sanctae Iohannae de Arcu Pullicellae (Virginis) Aurelianensis quae dicitur (vulgo Francogallice: Jeanne d' Arc, la Pucelle d' Orléans) - anno MCMXXIX° nata amica nostra Francogallica spectatissima Genovefa diem natalem iam sexagesimum agit, in quem omnia fausta precari gratulationesque occursationesque sincerrimas optumasque intimas lubentissimo animo humaniter offerre nostrum hoc die sollempni esse puto.

De oppidulo, ubi Genovefa nostra nata est

Genovefa autem amicissima nostra sub nomine Francogallico Geneviève Duron nata est prope urbem Lutetiam Parisiorum in oppidulo, cui nomen Fundus seu Fiscus Is(c)iacensis ad latus Molendinellarum in departamento Altorum Sequanae (vulgo Francogallice: Issy-les-Moulineaux, département Hauts de Seine). Nomen autem fundi seu fisci seu fani "Isciacum" seu Fundus seu Fiscus Is(c)iacensis admodum propabiliter originem - ut mea fert opinio - trahit a pristino quodam Gallo, cui nomen fortasse erat Ic(c)ius seu Iscius seu Isicus, sed virum illum mirum Gallum accurate subtiliterque sub eo nomine insolito definire nostris temporibus nullo pacto fieri potest.

Anno iam MLXXXIV° oppidulum illud sub nomine "Issiacum" in documentis publicis est prolatum et commemoratum, postea autem de illo oppidulo mentio facta est sub nomine Fundi seu Fisci Is(c)iacensis.

Fundus autem ille seu Fiscus Isciacensis ad latus Molendinellarum ad Sequanam situs in pago seu departamento Altorum Sequanae amoene iacet et nostris temporibus est suburbium, quod dicitur, Lutetiae Parisiorum urbis. Suburbium autem illud circiter 53 000 habet incolarum. Hospitio accipit suburbium illud industrias metallurgicas aeronauticasque, officinas operum manufactorum chemicas electricasque atque

- eheu - fabricas etiam sigarettorum. Aëriportus Isciacensis anno iam MCMVII° institutus hodie est terminus (statio terminalis) servitii aerilineae helicopterum inter Lutetiam Parisiorum urbem Francogallicae et Bruxellas urbem regii Belgici.

De Genovefa nostra ipsa

Nunc autem tandem aliquid de Genovefa ipsa et de eius virtutibus meritisque vobis, o legentes carissimi, exponere meum esse puto.


Genovefa antiquarum litterarum studiis acriter ardentem operam dedit nostrisque diebus sicuti profestrix in litteris (Francogallice: agrégée ès lettres) linguarum classicarum in lyceo cui nomen "Lyceum Iohannes Ludovici Barthui" (Lycée Jean Louis Barthou) Latinitatem docet discipulos discipulasque. Officio autem ludi magistrae, profestricis fungitur Genovefa nunc Pali seu Epaunae in oppido ad ripam dextram Gabari Palensis fluvii (Pau à la rive droite du Gave de Pau). Palum ad Gabarum Palensem situm olim fuit caput Civitatis Beneharnorum (Pays de Béarn), hodie autem sedes est praefecturae departamenti Pyrenaeorum Atlanticorum.

Genovefa primo conubio sub nomine Francogallico Métails quondam etiam tum libellum in vulgus edidit, cui titulus "Temporum transvectio". Secundo autem conubio ritu vere Romano Genovefa nupsit circiter decem annos abhinc Antonino Imme(o), viro vere Italo ortu Sicule nuper - eheu! - vita defuncto de Latinitate etiam summe merito. Genovefa Antoninusque coniunctim uti moderatrix moderatorque in vulgus ediderunt commentaria periodica seu chronographica pro discipulis "Lycei Iohannis Ludovici Barthui" Pali in oppido ad Gabarum Palensem, quibus titulus "Memento audere semper" (MAS).

Genovefa autem, mulier illa vere Francogallica vereque humanissima, doctissima, excolta, summa eruditione praedita, propugnatrix fortis heroisque magnifica taediferaque dea Latinitatis vivae, de Latinitatis atque de omnibus rebus antiquitatis colendae summe merita, ut et protinus Deo benevole annuente et probante innocue vivat, floreat, vigeat usque ad multos annos, ut et integra intactaque valetudine assidue utetur nunc et iugiter, ea bona omnia

amicae nostrae Francogallicae percarae ex adyto tamquam cordis toto animo pectoreque ad diem natalem exoptamus. Occasione tam ardentem expetita tandem data identidem omnia pulchra et fausta et prospera optamus gratulamurque scenscens de die natali sexagesimo, dextram porrigimus fraternoque ardentissimo amplexu eam artius ampleximur, grates laudesque agimus persolvimusque infinitas ineffabilesque omnem modum omniumque ingenia exsuperantes. Quod ea omnia Deus bene vortat Genovefaeque nostrae assidue sine ulla intermissione patrocinetur.

AMICUS



Lingua Latina locum sibi vindicat

(Andreas Fontaine, diurnarius, in prima pagina ephemeridis, cui index "LE MONDE", mense Martio anno MCMLCCCIV° hanc defensionem linguae Latinae, quasi de radicibus humani Europae cultus unius praestantissimae, publicavit. Quam Felix Arocena in commentario periodico apud Universitatem Studiorum Navarrensem prodeuntem, qui "NUESTRO TIEMPO" inscribitur, occurrit et ex Hispanico in Latinum vertit).

Tueri Latinitatem: En magna quaestio, quae anachronica forte multis videbitur, hac tum maxime nostra aetate, in qua lingua ad "Informaticam", qui dicunt, vertit ac cultus humanus ad mores nostrorum temporum trahendus. Cur est ratio - aiunt - terendi annos in discenda lingua hac mortua - et relative difficili - si nobis hoc magis prodesset, ut ad sermones tot frequentium populorum uti Sinensium et Arabum accederemus?

Nemo est, qui putet fore, ut sermo Latinus praestabilem

locum obtineret, quo in superiore adolescentium institutione usus fuit. Et quamvis infitendum non est, ut recens aliqua notetur recuperatio et, crescente puerorum numero in scholis discentium, studia humanarum litterarum magis quam olim sint hodie, qui colant, illi tamen linguae minus temporis tribuitur et, raris exceptis, leviter tractatur. Sed plurimae exstant causae, ut sedem vere dignam iterum habeat Latinitas.

1. Pro roboranda mentis stabilitate auream medelam inveniebat Georgius Pompidou, cum verba Senghor sui amici afferens, in memoriam revocabat linguam Latinam semper postulare subiectum, verbum, obiectum: ideoque ita dicimus: Hubertus amat Leopoldum. Remedium ergo ipsa constituit contra inanem loquendi profluentiam siquidem declinatio nec non articulorum absentia linguae conferunt Ciceronis et Caesaris subtilitatem ac breviter evincituras nunquam.

2. Inest quoque magna in arte vertendi vis ad efformandam et compellendam animi intentionem, quia minimum in sermone Latino maximum est ac sufficit non curare de uno ad decipiendum in toto. Est igitur ars difficilis, sicut labor fabrum, qui non nisi labente tempore callebitur et, solummodo in ipsum, qui eum plane perficiat, omne gaudium cumulabit. Ars vero Latinitatis ars et distinguendi quoniam uniformiter, per aequationes nempe, quas contendunt mathematici, verti nequit.

3. Ceterum, alia est utilitas, quae plerumque haud satis perpenditur. Lingua Latina lingua est mortua, et adeo mortua ut, licet ioca verborum e comoediis excerpta altius sint pervestigata, de modo tamen eam loquendi et proferendi adhuc satis non constat. Reapse cum linguam vivam convertimus, dynamicae incumbimus realitati; sermo vero Romanus stat ad vitam aeternam nec ullus erit tiro, qui possit eum mutare eo quidem, quod de re agitur immutabili. In hoc mundo stabili ac tot tantisque mutationibus simul obnoxio, qui sit Latine vere doctus, et quae transeunt sciet praetermittere, et manentibus haerere.


4. Quae sane lingua peridonea ad sententias mente insculpendas; dicta enim iuris hodierni, nati quidem illius Romani, summa cingunt principia, bis iam millaria, quae, secus effata, vi sua languerent. Sicque: "Nullum crimen, nulla poena sine lege"; "summum ius, summa iniuria", et

alia id genus. Et non aliud in grammatica: qui perdidicit, exempli gratia, Latine pro more dicendum "Timeo, ne venias", nunquam obliviscetur suetam illam particulam "ne" timendi verbis Gallice praemittendam. Et quid de adagiis, quae invenimus iuxta paginas roseas illius glossarii "Larousse" nuncupati, nisi presse et pauca in verba redigentibus ea, quae caput sunt et summa rerum? Etenim quot sunt gubernatores, quorum cessit memoria dicti huius vere principalis: "De minimis non curat praetor."

5. Linguae Romae peritus quantum pro ipsa nitatur, tantum delectabitur. Haud pauci quondam fuere, qui Latine reddendo aut directe ab originali legendo pari spiritali gaudio afficiebantur ac ille, qui difficile simulque iucundum solvebat problema. Cuius lectori patet omne scriptum in alienum sermonem translatum plerumque depauperari; inde necessario non est "integristam", qui appellantur, nec quidem litteris Latinis ornatissimum esse ad mentem singulariter erigendam, quoties cantus gregorianus auditur, canticum "Magnificat" concinitur vel fidei symbolum Latine recitatur.

Iamvero ad intellegendum eos, qui linguis e Latio ortis loquuntur, Latine scire iuvat quam maxime. Latinis autem in litteris, si quis paenitius haeret, citius paratus erit ad Hispanice, Italice, Gallice vel Lusitane legendum. Latinorum nimirum est commune suum quodque tueri thesaurum, ne longaeva Europa Anglorum locutione sensim invadatur. Nos tandem fidenti animo speremus sero nimis non sit, ut Latinitas obtineat locum inter excolendas disciplinas se dignum.

André Fontaine
In Latinum convertit Felix Arocena



Felix Arocena, quae inscriptio cursualis tibi est?

Mense Augusto anno 1984° Felix Arocena nobis symbolam supra publicatam misit. Nescio qua calamitate tum accidit, ut epistula et opus Latine compositum intactum ad nos allatum fuisset, neque autem involucrum epistulae, quod sine dubio inscriptionem cursualem mittentis demonstrabat. Ex epistula apparet Felicem eam Legione urbe scripsisse. Quam urbem Leon in Hispania esse putamus, sed nihil amplius scimus. Itaque, care Felix, ut tibi respondere possimus, rogamus te, ut nobis, quaeso, inscriptionem cursualem tuam mittas.

*

Felix Arocena: ¿Cuál es tu dirección?

En agosto de 1984 Felix Arocena nos envió el artículo, que hemos publicado en este número de RUMOR VARIUS. Por desgracia hemos recibido la carta y la obra latina, pero no el sobre con la dirección del expedidor. La carta viene de una ciudad, que se llama en latín "Legio". Creemos que es León en España, pero no sabemos nada más. Por lo tanto, querido Felix, te rogamos, que nos envíes tu dirección, por favor, para que podamos responderte.

RUMORIS VARIII domus editoria



Hoc tempore tandem aliquando de feriis procul actis nihil

Tandem aliquando non de itineribus sum scripturus, quia feriis Octobribus domi mansimus, quamvis suppliciter mea coniunx me oraret et obsecraret, ut secum in Hispaniam proficiscerer. Clavus pedis (Hühnerauge) enim valde dolens in digito pedis sinistri me impedivit, quominus uxori obsequens iter longum facerem. Cuniunx autem cum me vix ambulare posse videret, consensit mecum, ut domi maneremus.

Filium meum maximum natu consului, qui multa de callo (harte Haut) digiti pedis sinistri desecuit, sed clavum deprehendere et excidere nequivit. Tum ad dominam pedibus curandis (Fusspflege) expertam ii, quae tam sollers erat, ut clavum tandem excideret. Deinde ad iter in terras alienas faciendum paratus quidem eram, sed cum pauci tantum dies superessent feriarum, domi manere constituimus.

Itaque, cum de feriis nihil novi habeam, quod narrem, nunc semel et extra ordinem alia de re mihi scribere in animo est. Quid autem scribam? De feriis domi actis, quae feriae verae putandae non sint, minime! Nihil nisi molestiam vobis afferret oratio de diebus, qui mihi ipsi longi visi sunt.

Cum res ita sint, nunc aliquod facete dictum Iudaicum vobis narro. Facete dicta Iudaeorum etiam apud nos famosissima esse scio. Ecce exemplum:

Homo Iudaicus nomine Levi ad magistrum (Rabbiner) venit dicens: "Magister, hereditas ad me venit. Sumne nunc dives?"

Magister: "Quanta est hereditas?"

"Centum marcarum."

Magister subridens: "Centum marcarum? Levi mi, ob centum marcas dives non es factus. Sed eme tibi panem et butyrum (Butter) et comede, ut tandem aliquando satieris."


Levi abiit et fecit, quod magister suaserat. Emit panem et butyrum. Domi desecuit magnum frustum (Schnitte) panis et butyro multo perunxit (bestreichen). Sed antequam edere inciperet, frustum panis e manibus excidit et tam infelicitate, ut in latus butyro unctum caderet. Qua re Levi perturbatus ad magistrum cucurrit eique narravit, quid accidisset. "Tu, magister," inquit, "mihi dixisti me divitem non esse. At in libro Talmud scriptum est frustum panis non nisi hominis divitis in latus butyro unctum cadere posse. Tu autem dixisti me divitem non esse. Nunc te interrogo, utrum tu sis mentitus an liber Talmud. Etenim aut tu es mentitus aut Talmud."

Magister respondit: "Levi mi, ego mentitus non sum et liber Talmud mentiri ne potest quidem. Sed tu butyrum lateri falso illevisti (streichen)."

Cari legentes, multa facete dicta Iudaeorum mihi nota sunt et bene narrare scio. Sed nunc demum animadverto aliud esse

sermone nostro narrare, aliud Latino. Scire velim, quomodo Cicero facete dictum supra narratum, si ei notum fuisset, narraturus fuerit sermone suo. An Ciceroni, viro vere Romano, talia dicta putatis risui omnino non fuisse?

Emanuel Bernard



DE PERSPICILLIS

De perspicillo a patre relicto

Hodie aliqua de femina nonaginta annorum nomine Annae, quam per multos annos amicitia mihi iunxi, vobis narrem.

Anna maximam partem vitae in vico ad lacum Verbanum sito peragebat, quo in loco staturae tam parvae globosaeque causa ab incolis simpliciter "feminula" appellatur atque amatur, cum usque adhuc magna vitalitate ingenioque proprio sit. Iucundum est eam praeterita ex ampla memoria tradentem audire. Cui autem non solum praeterita, sed etiam res temporis hodierni vel progressiones futurae cordi sunt. Itaque multa legenda actis diurnis exempta colligit, quae cum amicis disputentur.

Prope viginti anni sunt cum Anna ~~lectionem~~ aliquorum commentariorum praeparans perspicillum mirabiliter constructum in naso posuerit: compages metallo facta includebat parvos orbes vitreos duos; quorum autem distantia latior impedivit, quominus Anna fenestellas ambas simul perspicere posset. Insuper perspicillum propter latitudinem compagis constanter movebat. Amicam legentem haud attento animo audivi; nam quasi fascinata observare debui, ut perspicillum sub nasum repebat, a feminula reponebatur, denuo migrare incipiebat...denique "Anna!" exclamavi, "quomodo istud vehiculum utile sit, quoniam numquam ante oculos moratur? Perspicillum melius tibi vero necesse est." Illa

risit. "Noli maledicere", inquit, "venerandum est a patre relictum!" Tamen medicum oclarium proximis diebus consu-
luimus; qui examinatione accurate perfecta perspicillum
patris haudquaquam in feminulam convenire confirmavit.

Paulo post amicae veteri perspicillum alium a medico
praescriptum attuli et statim in naso collocavi. "Quam
mirabile!" exclamavit, "omnia vicina acutissime video. Hoc
est vere idoneum ad legendum."

Postridie autem illam in horto versari ac perspicillum
patris gerere animadverti. "Cum usu consumptum non sit",
explicavit, "mihi utile erit foris; nam praeter-videre tam
bene permittit, ut semper impedita aut supra ad astra aut
infra ad flosculos aspicere possim."

Recte! "Abusus non tollit usum."

Hac sententia Latina commentaria de perspicillis (talibus
seu ad legendum, seu ad praeter-videndum) concludantur.
Ut semper clarissime videatis vobis exoptat


Ursula Schwenk



Aenigma

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM
ET RVMMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA
KALENDIS OCTOBRIIVS EST! SOLVTIONES IN LIBELLO 5/89, QVI
CIRCITER IDIBVS OCTOBRIIVS PUBLICABITVR, DEMONSTRABIMVS.
ITAQVE VOBIS SATIS TEMPORIS AD AENIGMA SOLVENDVM FERIS
QVOQVE ERIT.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS



ad libram

- 6 esurientes (f. nom. pl.)
10 urbs Italiae meridiana;
Pythagoras ibi habitabat
13 aliquid ad defendendum
aptum
15 geri
16 odoribus iucundis afficere
18 urbs Siciliae; fanum Cere-
ris deae ibi fuit
20 corbula
21 instrumentum mathematicum
(Gen.)
22 filiae tuae nupturae quas-
dam res praebeas
24 rotundari
25 polito
26 consumpta
27 sic Ulixes ad Cyclo-
pum de-
cipiendum se ipsum nomina-
vit (Graece!)
28 urbs Cariae; Aphrodite dea
ibi colebatur
29 littera alphabeti Graeci
30 iterum
31 praefert
33 participes tribus veterri-
mae Romanae
- 35 avis maritima, in quam
Scylla mutata esse fertur
(Dat.)
36 elementum leve
37 evasi (p.p.p.)
38 persona principalis tra-
goediae Euripidis poe-
tae (Acc.)
40 placentae, quae deis sa-
crificia praebebantur
41 fulgens
42 bona valetudine (Abl.)
43 urbs Etruriae (Gen.)
45 devorati
46 avis, apud Aegyptios sacra
48 pars māli Punici (Dat.pl.)
50 condimentum quoddam
52 philosophus Graecus cele-
berrimus
54 quibus in superiores par-
tes domus ascenditur
56 surculus
59 saltatrix instrumentis ad
crepandum praecipue in Hi-
spania notis utens (Acc.)
61 siluit
62 coma cirrata (Abl.)
63 lana vestes conficienti

ad perpendicularum

- 1 oscito
2 dea Romana
3 frater Amoris dei (Graece)
4 opus aranearum
5 cerneremini
7 muliere vetere
8 dea Romana, quae prima lu-
ce in caelo apparet
- 9 cuius homines participes
non sunt (Dat.)
11 vehiculum quattuor rotis
ornatum
12 sonaret
14 poeta Romanus (Gen.)
17 particeps illius gentis,
cuius linguam Ovidius po-
eta in exsilio didicit

- 19 gens Romana (Adj.,m.,acc.)
21 prudentibus vel defenso-
ribus
23 urbs veterrima Phoenicae
29 noctem non dormiens peragas
32 paululum aquae
34 diligentissime excogita!
39 diligentissime explicate!
42 cultro tracto
44 quae in scaena agit (Abl.)
47 os vel frustum
49 perseveret vel urgeat
- 51 dempsi
52 tolerate
53 ad Iovem deum nautis ven-
tum secundum praebentem
pertinens (Adj.,f.,nom.)
55 Romae Capitolium sic nomi-
nabatur (Dat.)
57 contrarium verbi "thesin"
58 pelagus
60 morbis vacui
64 numerus "40"

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann

De septem corvis

(Fabula haec originem trahit a libris fratrum Grimm):

Vir quidam, cui iam erant septem filii validi, exoptavit, ut filia ei dono daretur. Et ecce, uxor eius rursus infantem peperit, puellulam profecto. Cum puella autem infirmior esset, pater cura sollicitatus: "Filia mea", inquit, "statim baptizanda est, nam animam efflare vide-
tur." Et pueros septem celeriter ad fontem misit aquam
petitum. Pueri ad puteum properant, sed, cum nimium festi-
nent, urna e manibus elapsa in puteum cadit. Magno timore
moti pueri domum reverti non audent. Tum pater iratus:
"Filii mei sane impii sunt. Ludentes mandati mei obliti
sunt. Utinam omnes corvi nigri fiant!" Et pueri miseri
corvi facti iam evolant. Patrem frustra paenitet inhumani-
tatis eius. Filios revocare nequit. Filia autem in dies
validior formosiorque fit. Parentes eam de sorte iniqua
fratrum certorem non faciunt. Aliquo die autem puella in
horto ludens vicinorum sermonem audit. "Puella", aiunt,
"profecto formosa est; mala sors fratrum autem ei crimini
dari potest." Tum puella statim ex parentibus rem omnem
quaerit. Parentes multum flentes: "Tu, puellula", aiunt,
"causam calamitatis non sustines." Puella autem: "Quietem
domi capere non iam possum. Fratres miseros sanguine meo

redimere debeo." Et clam noctu domo exit et iter faciēns ad mundi terminos advenit. Neque sol neque luna puellae maestae auxilio veniunt. Postremo puella stellas adit, quae magna benevolentia esse videntur. Ecce, stella pastorum puellam gallinae osse donat dicens: "Osse hoc montem vitreum aperire poteris. Quo in monte fratres tuos invenies." Et puella iter pergens ad montem vitreum advenit. Eheu, gallinae os in itinere amisit. Tum magno amore fratrum commota digitum parvum cultro sibi secat. Quo modo montis portam aperire potest. Ei obviam venit quidam senex: "Dic mihi", inquit, "cur huc veneris?" Et puella: "Magno desiderio fratres meos videndi capior." Et senex: "Fratres tui, corvi nigri, nunc absunt. Accumbe, quaeso, mox eos videbis." Et puella videt mensam magnam poculis septem ex ordine ornatam. Quorum in ultimo deponit anulum aureum domo allatum. Paulo post voces corvorum sonitusque alarum audiuntur. Corvi septem in montem revolant cenam sumptum. Et unus ex iis invenit in poculo suo anulum aureum, quem optime agnoscit. "Est anulus parentum nostrorum", inquit, "utinam soror nostra adesset! Redimere nos posset." Puella, quae in angulum aliquem se abdiderat, statim in lucem prodiit et fratres magno cum gaudio salutavit. Ecce, septem corvi denuo septem pueri facti sunt. Laetitia exsultant et inter se osculantur. Sorori quoque multa oscula ferunt. Tum omnes gratis animis domum revertuntur.

Barbara Maier



Facete lepideque dictum



DE PARTICULIS MINIMIS, QUIBUS NATURA CONTINETUR

(Tractationis pars prima)

Hodie conaturus sum nonnulla vobis de primis elementis physicis narrare, de particulis quibusdam, ex quibus mundus noster visibilis constat. Haec res iam in se valde difficilis est, quia particulae minimae, quas physici hodierno tempore examinant, non iam sunt revera visibiles, immo ne res corporales quidem esse videntur, sed quidam status materiae quibusdam quantitibus definiti. Tales quantitates possunt esse massa, caricatio electrica, energia, impulsus, rotatio propria et aliae.

Vos omnes iam saepe audistis exstare átomos. Atomi sunt quasi prima elementa rerum visibilium et sensibilium. Lapides, aqua, aër, omnia, quae tangere et sentire possumus, ex singulis atomis composita sunt. Atomi autem singula elementa chemica velut hydrogenium, helium, oxygenium, ferrum, aurum efficiunt et inter se pro singulis elementis chemicis differunt. Atomi ipsae ex protoniis, neutroniis, electroniis constant. Protonia et neutronia in nucleo atomico inveniuntur, electronia autem se in aliquo involucro circum nucleum movent. Cuius elementi atomus sit, numero protoniorum definitur.

Si atomos melius intellegere volumus, conemur motum electroniorum circum nucleum atomi describere. Iam hic difficultates nobis occurrent, quae semper nos in descriptione rerum subatomicarum insequentur. Nam ex aliis systematibus velut ex systemate planetarum semper duas vires habere assuefacti sumus, quae motum definiunt: unam vim attractivam et aliam repulsivam. In systemate planetarum vis attractiva est gravitatio et vis repulsiva est vis centrifuga. Inter illas duas vires et inertiam semper est aequilibrium ita, ut certi cursus planetarum efficiantur. In atomis vero alii quoque aspectus naturae nobis ostenduntur. Sic praeter attractionem et repulsionem duae res in atomis intellegendis maximi sunt momenti, quae sunt impulsus rotationis et ratio incertitudinis Heisenbergiana.

Inspiciamus atomum simplicissimam, quae est hydrogenium. Hydrogenium unum protonium in nucleo habet, neutronium nullum, unum electronium in involucro. Quia protonium carricationem positivam habet et electronium negativam, illae particulae se invicem attrahunt. Hoc similiter atque in systemate planetarum vim attractivam efficit. Si nunc dicimus: quia electronium attrahitur, debemus vim repulsivam habere, ne electronium in nucleum labatur, ergo est propter motum electronii vis centrifuga, videbimus ex experimentis hanc solam condicionem non sufficere. Nam experimenta docent electronium tantum certas energias habere posse, quae sunt bene definitae. At ex theoria Kepleriana de motu planetarum sequitur, ut planetae quamlibet energiam habere possint, quae solum ex distantia inter planetam et centrum gravitatis pendeat. Ergo ad atomum explanandam alia dum condicio necessaria est. Haec nova condicio nos ad physicam quantorum ducit. Quid hoc significet, explanabo:

Ex theoria relativitatis Alberti Einstein novimus aequivalentiam massae et energiae: $E = m \cdot c^2$ ($c =$ velocitas luminis). Ex theoria effectus photoelectrici autem nobis pro lumine relatio inter energiam et frequentiam nota est: $E = h \cdot \nu$ ($\nu =$ frequentia). h vocatur quantum effectus Planckianum. Si illas duas aequationes componimus, nova aequatio exinde sequitur: $m \cdot c^2 = h \cdot \nu$. Haec aequatio relatio inter frequentiam et massam est. Ergo materiae sicut lumini quadam "undulatio" attribuitur. Vice versa "massa" luminis

per frequentiam definitur. Massa propria luminis autem non exstat, sed si de massa luminis loquimur, solum massa relativa significatur, quam lumen propter energiam motus habet. Longitudo undulationis materiae datur per $\lambda = h/p$, ubi p est impulsus particulae, id est $p = m \cdot v$ ($v =$ velocitas). Haec aequatio, quam Luis-Victor de Broglie anno 1924^o publicavit, omnicuique particulae undulationem cum longitudine undulationis λ et frequentia ν attribuit. Ex hoc quidem sequitur, ut natura materiae duplex sit: una ex parte quidem phaenomena exspectamus, quae ad undulationem materiae pertineant velut interferentiam. Item de lumine: luminis natura non solum est "undularis", sed multa phaenomena spectant ad naturam "corpuscularem" luminis. Sic lumen singulis quantis constat, ergo quasi particulis cum certo impulsu et certa energia. Sed redeamus nunc ad atomos nostras.

Ut iam antea dixi nova condicio ad status energeticos atomi explanandos necessaria est. Quae nunc est ea condicio? Antea iam adnotavi materiam etiam phaenomenon interferentiae monstrare. Interferentia est, si duae undulae se mutuo exstinguunt, cum phasibus non congruant, id est cum culminis earum non una conveniant. Similis res etiam in atomo fieri potest, cum electronium secum ipso interferentiam faceret, si undulatio electronii in itinere circum nucleum non semper eadem phasi conveniret. Hoc significat solum tales cursus electroniorum stabiles esse, ubi iter est integer numerus longitudinis undulationis. Itaque sicut in chorda violini etiam in atomo solum certae oscillationes naturales fieri possunt. Haec condicio autem continet, quod impulsus rotationis in atomis non est continuus, sed valores discretos habet. Item etiam singulae particulae "rotationes proprias" habent, ut experimenta docent. Illae rotationes propriae semper habent valores, qui sunt $n \cdot h/4\pi$ ($n = 0, 1, 2, 3, \dots$). Impulsus rotationis in atomo vero, de quo antea locutus sum, tantum tales valores accipere potest: $n \cdot h/2\pi$ ($n = 0, 1, 2, 3, \dots$).

Natura "undularis" materiae etiam aliud principium maximi momenti continet. Si enim alicui particulae undulatio attribuenda est, tunc locus et impulsus eius particulae quadam incertitudinem habent. Haec incertitudo per relationem incertitudinis Heisenbergianam datur: $\Delta p \cdot \Delta x \geq h/4\pi$. Secun-

dum hanc relationem fieri non potest, ut simul et locum et impulsus alicuius particulae accurate cognoscamus, immo etiam ut locus particulae non simul cum eius impulsu melius sit definitus, quam relatio incertitudinis permittit. Similis vero relatio etiam inter energiam et tempus valet, quae est: $\Delta E \cdot t \geq h/2\pi$. Secundum hanc relationem energia in quodam intervallo temporis Δt solum tam bene definita est, quam hac relatione licet. Quo brevius igitur spatium temporis est, quo aliquod systema examinamus, eo incertior energia eius systematis est. Etiam lex energiae conservatae tantum intra fines illius relationis incertitudinis valet!

(Tractationis pars secunda in proximo libello sequetur)

Robertus Maier

VOCABULARIUM

actio mutua	Wechselwirkung
aequilibrium	Gleichgewicht
antineutronium	Antineutron
antiparticula	Antiteilchen
antiprotonium	Antiproton
atomus f.	Atom
aurum	Gold
campus electricus	elektrisches Feld
campus magneticus	Magnetfeld
carricatio electrica	elektrische Ladung
chorda	Saite
collisio	Stossprozess, Kollision
color	Farbladung
cursus electronii	Elektronenbahn
effectus photoelectricus	Photoeffekt
electrodynamica quantorum	Quantenelektrodynamik
electronium	Elektron
elementum chemicum	chemisches Element
energia	Energie
energia motus	Bewegungsenergie
ferrum	Eisen
frequentia	Frequenz

gluonium	Gluon
helium	Helium
hydrogenium	Wasserstoff
impulsus	Impuls
impulsus rotationis	Drehimpuls
interferentia	Interferenz
involucrum (atomicum)	(Atom)hülle
longitudo undulationis	Wellenlänge
lex conservatoria	Erhaltungssatz
lex energiae conservatae	Energieerhaltungssatz
massa	Masse
massa propria	Ruhemassee
neutronium	Neutron
nucleus (atomicus)	Atomkern
oxygenium	Sauerstoff
oscillatio naturalis	Oberschwingung
par particulae et antiparticulae	Teichen-Antiteilchen-Paar
particula elementaris	Elementarteilchen
particula virtualis	virtuelles Teilchen
phasis	Phase
photonium	Photonium
physica quantorum	Quantenphysik
planeta	Planet
positronium	Positron
productio particularum	Teilchenerzeugung
protonium	proton
quantum effectus	Wirkungsquant
quantum luminis	Lichtquant
quarcium	Quark
rotatio propria	Spin
relatio incertitudinis	Unschärferelation
status energeticus	Energiezustand
theoria relativitatis	Relativitätstheorie
undulatio	Wellennatur
vis attractiva	Anziehungskraft
vis centrifuga	Zentrifugalkraft
vis gravitationis	Gravitationskraft
vis repulsiva	Abstossungskraft



European Language Institute (ELI), Recanati (Italia)

LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

LATINITATEM CUM AMORE ET STUDIO

Invitatio ad septimanam
Latinam Amoeneburgensem

moderatores : Mechtildis Hofmann et Robertus Maier
quando ? : a die 13^o usque ad diem 19^o mensis Augusti
anno 1989^o
ubi ? : Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium
Amoeneburgense, D-3572 Amöneburg (Amoenebur-
gum apud Marburgum)
pretium : 300.- DM pro victu et habitatione in
domo, cui nomen "Johannes-Haus" (ibi maxime
30 participes habitare poterunt), 80.- DM
pro institutione (includitur pretium pro
duabus cenis Romanis et pro excursione)

Inscriptiones ad hanc septimanam Latinam petuntur usque ad diem
30^o mensis Iunii ad:

Robert Maier
Dresdener Straße 10
D-6070 Langen

Discipulos, studentes, magistros omnesque sermonis Latini amato-
res ad septimanam Latinam Amoeneburgensem invitamus. Disce loqui
Latine. Fructus studii tui Latini valebunt. Quod experiri atque
exercere poteris inter colloquia et ludos et convivia. Agetur
novus aditus ad cultum Romanum atque Europaeum. Sermonem Latinum
demonstrare volumus quam ad litteras per saecula exprimendas tam
in vita cotidiana adhuc valere. Simul res coquinarias Romanas
colere nobis propositum est, ut iucundam partem vitae Romanae
antiquae cognoscamus. Apportate etiam, si vobis placet, instru-
menta musica et photomachinas vestras!
Si plus scire voletis, telephonate ad:
Robert Maier, tel. 06103-71652

Vos salutant

Mechtildis Hofmann et Robertus Maier

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)


SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mitten-
da est ad adressam infra
stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!



Nomen emittentis et inscriptio cursualis:

AZ

8050 Zürich

3 / 89

IDIBVS AVGVSTIS

MCMLXXXIX



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

TOMVS 12

FASC. 77